



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sect. II. Resolvitur quæstio circa essentialem veritatem actus Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

TOM. II.

non consti-
tuitur actus
Fidei essen-
tialiter verus.

Actus su-
pernaturales
possunt vi-
tari.

VII.

Quod actus
supernatu-
ralis exigit
peculiariter
Deum, non
sequitur
eum esse es-
sentialiter
verum.

Concursum
supernatu-
ralis duplex,
universale
& speciale.

verum. Est contra P. Arriagam hic, Disp. 4. Sect. 5. num. 72. & alios, qui actum omnem supernaturalem, ipso facto quod supernaturalis sit, dicunt debere necessarii esse verum, tum ob excellentem ejus perfectionem, tum quia quicquid est supernaturale Deum exigit ut causam peculiarem. Sed contra: Nam ut precedente tomo, Disp. 92. Sect. 4. cum communi ferè Theologorum sententiâ ostendi, actus supernaturales morales, imo ipse etiam actus amoris Dei potest extrinsecè, saltem venialiter vitari, & reddi malus, & tamen actus amoris Dei assensum Fidei multis gradibus in perfectione antecedit, major enim horum est charitas, ergo sola supernaturalitas non obstat, quo minus Fidei actus possit esse falsus.

Ad id quod additur, actum supernaturalem exigere Deum ut causam specialem, dico non minus actus morales supernaturales, & actum illum amoris Dei idem exigere, ergo hoc titulo non magis est actus Fidei essentialiter verus, quam actus charitatis essentialiter bonus. Respondetur itaque Deum, quemadmodum ut est auctor naturæ habet duplicem concursum naturalem, universalem scilicet & specialem, ita ut est auctor gratiæ, duplicem similiter habet concursum supernaturalem, universalem nimirum & specialem. Ut ergo res aliqua præcisè sit supernaturalis, sufficit quod concursus illum universalem supernaturalem exigit, in hoc enim ab omni naturali sufficienter distinguitur, cum res nulla naturalis concursus hunc universalem supernaturalem requirat: ergo ex eo præcisè quod actus Fidei exigit concursus hunc Dei extraordinarium seu supernaturalem physicum, non sequitur eum esse essentialiter verum magis quam actus supernaturales voluntatis essentialiter bonos. Quod si dicas actum Fidei specialem illum concursus moralem supernaturalem exigero, & propterea esse essentialiter verum, contra, ergo non ratione supernaturalitatis præcisè hoc habet, sed talis supernaturalitatis, & de hac qualis sit inquirimus.

SECTIO SECUNDA.

Resolvitur questio circa essentialem veritatem actus Fidei.

I.

Actus Fidei
Theologica
est essentialiter
verus.

Concilium
Tridentinū.

OMNIBUS consideratis probabilius longè mihi videtur actum Fidei Theologicæ esse essentialiter verum, nec in ullis circumstantiis posse, etiam de potentiâ absolutâ esse falsum: ita auctores Sectione præcedente, num. 3. citati, et quæ expressa sententia D. Thomæ hic, q. 1. art. 3. Videturque clara mens Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 9. ubi sic habet: Cum nullus scire valeat certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei consecutum esse: ubi cum indiscriminatim loquatur Concilium, videtur in omnibus circumstantiis intelligendum, & in ordine ad potentiâ absolutam.

II.

Offenditur
Fidem Theo-
logicam non
posse esse fal-
sam.

Ratio Conclusionis ex ipsâ naturâ Fidei Theologicæ defumitur, quæ in hoc sita est, ut quis credat Deo loquenti, seu quia Deus id testatus est, ergo actu Fidei Theologicæ non possum quidquam credere nisi quod Deus verè locutus est, seu revelavit, implicat namque ut ego cuiquam aliquid dicenti credam, si is illud non dicat. In hoc ergo casu, quando nimirum aliquid

proponitur ut dictum à Deo, quod tamen verè Deus non dixit, etsi is cui proponitur putet se credere Deo, re tamen verè ei non credit, sicque assensus ille non est verè assensus Fidei Theologicæ, sed tantum talis esse existimatur.

Confirmatur, & magis explicatur hæc ratio: III. Essentia actus Fidei, ut dixi, est, ut quis credat alicui rem aliquam dicenti, ergo essentia talis actus Fidei est, ut credat tali dicenti. Unde, ut rectè hac de re P. Coninek, si dum Petrus mihi aliquid dicit, ego existimarem eum esse Paulum, qui summæ apud me est auctoritatis, idèoque firmiter rei illi adhæreo, quod non facerem si scirem eum qui loquitur esse Petrum, quin tanta est auctoritatis, quantumvis in hoc casu putem me credere Paulo, re ipsa tamen non Paulo credo, sed Petro, cum, ut dixi, impossibile sit ut ei credam, qui nihil dicit, credere enim secundum omnes est alicujus dictis fidem adhibere, quo pacto ergo illius dictis fidem adhibebo, cujus nulla sunt dicta? Firmius quidem dictis Petri adhæreo quia existimo ea esse Pauli, huic tamen simpliciter non credo, sed illi. Sicut ergo hic, Fides est Petrina, ut ita dicam, non Paulina, quamvis ita ab elicente existimetur, eodem modo in præsentia, cum Deus verè non loquatur, non potest assensus esse Theologicus, quamvis talis ab eo, qui assensum elicit, putetur. Hanc conclusionis hujus rationem existimo eam esse, quam tradit S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 3. Corpore.

Dices cum P. Arriaga hic, Disp. 4. Sect. 5. num. 70. Fidem non à revelatione, seu dictione Dei, sed ab ejus veracitate dici Theologicam, veracitas autem semper existit. Distinguo minorem, existit applicata, nego minorem, non applicata, concedo; non enim ad actum Fidei divinæ circa rem aliquam elicendum sufficit veracitatem Dei existere, alioqui tam posset quis Fide divinâ credere Romulum occidisse Remum, ac Cainum occidisse Abelem, cum semper existat veracitas Dei, ergo ulterius requiritur ut objecto applicetur, ut nimirum Deus rem illam dicat seu revelet, sive revelatio sit partiale objectum formale actus Fidei, ut eam esse diximus supra, Disp. 4. sect. 3. sive tantum conditio. Unde si quis existimans aliquid esse dictum à Deo, quod tamen revera non est ab eo dictum, illud credat, non est verè actus Fidei, sed tantum existimatus, quia, ut sæpius dixi, implicat ut quis verè credat alicui circa rem aliquam, qui ei nihil dicit.

Ex his apertè constat actum qui est verè Fides Theologica, non posse esse falsum, cum essentialiter petat veram revelationem seu dictionem, & ut Deus verè loquatur, non tantum apparenter, tunc enim non erit verè actus Fidei Theologicæ, sed solum apparens. Unde ut mentem meam ulterius declarem, existimo hos duos actus, quorum unus tendit in dictionem seu revelationem apparentem, alter in veram, esse specie distinctos, & hunc ut eliciatur pendere essentialiter à verâ Dei dictione, vel tanquam à ratione formali, vel tanquam à conditione.

Dices: Implicat ut detur hujus modi dependentiâ à rebus tanquam à conditionibus extrinsecis, sic enim uniusquisque dicere quidvis posset, ac philosophari pro libito, & ubi argumento aliquo premitur, ad conditionem extrinsecam tanquam ad asylum confugere. At sanè ut conditiones extrinsecas non passim ac temerè admittendas existimo,

III.
Essentia ta-
lis actus Fi-
dei est ut
quis credat
tali aliquid
dicenti.

Qui Petri
dictis assen-
sum præbet,
putans eum
esse Paulum,
non Paulo
credit, sed
Petro.

IV.
Etsi veraci-
tas Dei sem-
per existat,
omnibus ta-
men objectis
non est ap-
plicata.

Implicat ut
quis alteri
credat sis
nihil ei di-
cat.

V.
Actus Fidei
verè Theo-
logica quid
requirat.

VI.
Negari nec
in Philoso-
phia nec in
Theologia
potest de-
pendentiâ
à conditio-
nibus ex-
trinsecis.